Cogitanti mihi quid potissimum vobis offerrem, quod suâ novitate expectationi vestrę faceret satis, vestrisque auribus dignum esset, nihil occurrit huiusmodi, neque poterat, uti arbitrari potestis, propter ętatem occurrere. Animo enim percurrens omnes vitę meę annos reperiebam, primo me vix pubertatem egressum artis huius salutaris, quam tracto possuisse tyrocinium sub Patre meo optimo, meique amantissimo, qui principem locum tenet Chirurgi Decani, nec non Lectoris Anatomię munus obit in inclyto Archiospitali Sanctę Marię Consolationis, ut ajunt, quique nec diligentię, nec labori, nec sumptui pepercit, ut illis imbuerer, quę ad preclarissimam facultatem assequendam sunt opportuna: Occurrebat secundo ab eodem Patre Florentiam fuisse missum ibique annos aliquot commoratum, ut Patria procul Domo eidem arti impensius vacarem, Theoriamque, et praxim addiscerem sub inclytis preceptoribus, quos inter unum Angelum Nannonium, cui plurimum me debere profiteor, honoris causa nomino: Denique recordabar, me in Celeberrimam hanc Urbem jussu Patris venisse, in qua annum jam versari felicissime mihi obtigit ad professores doctissimos, humanissimosque, ut eos colloqui, iis adesse, et cum iis versari possem dum efficaces absolvunt operationes, atque his veluti adminiculis ad facultatis apicem pervenire.

Cum ergo nihil habere possem, quod ex propria penu depromptum in medium proferrem, et nefas esse ducerem stimulis naturę, quibus ad hanc artem perfectè acquirendam assiduè feror, repugnare, historiolam quamdam morbi alicuius selegi, ex iis, quas in adversaria congesseram, dum sequerer Patrem meum Urbis ęgrotos curantem: Ea autem ita se habet.

Accersitus

Accersitus fuit aliquando Pater meus Junio mense ineunte anni millesimi septigentesimi quinquagesimi noni a Virgine quapiam annos circiter nata triginta, rogatusque, ut levamentum aliquod sibi miseræ dare vellet. Narrabat etenim se jam a multis annis gravissimis, vehementissimisque convulsionibus fuisse obnoxiam, ad quas sedandas præscriptam sibi a Medico, ajebat, dosim quamdam calybis, eumque male præparatum a Pharmacopola sumpsisse trigesima die septembris anni millesimi septigentesimi quinquagesimi sexti. Addebat præterea calybe vix sumpto ad cæteras suas calamitates hoc etiam accessisse, quod nullum genus esculentorum, neque potulentorum amplius capere potuerit, gravissimisque imposterum vexata cruciatibus dies integros traduxerit. Anno vix elapso, en rursus eadem incommoda quæ sex continuos dies pessimè eam habuerunt, quibus illud etiam fuit additum, quod muneri cuicunque obeundo impar omnino facta est. Interea sese insuper in conspectum dedit tumor quidam pulsans circa sthomacum qui misserrimæ Virgini quietem somnumque nocte dieque abstulit.

Inspexit Pater tumoris locum ab ægra indigitatum, tactuque digitorum deprendit in sthomaci regione tumorem durum, renitentem, atque ita pulsantem, ut manum repelleret, exiguoque pomi magnitudine parem: Animadvertit præterea ejusdem tumoris pulsationes adamussim respondere pulsationibus reliquarum arteriarum, adnotavitque ~~eum~~ a pulsatione excitari strepitum, qui optime a conclavi illi proximo, in quo decumbebat ægrota, exaudiretur.

Idem

Idem tamen Pater meus cum ferret de hoc morbo judicium ab opinione Medici dissidebat, asseverantis tumorem Aneu=rismaticum esse, quique multoties observaverat tumores hujusmodi in Virginibus castitatem colentibus, frequentes Romę, una cum convulsionibus repentè evanuisse: eoque magis in sua persistere sententia cogebatur, quod ex ipsa Virgine audivit menstrualium purgationum beneficio carere, quamvis omni cura ac diligentia omnigenisque remediis eas provocare Medicus studuisset.

Nil aliud ergo tunc habuit, nisi balnea ex tepida pręscribe-re. Verum remedium hujusmodi diù adhiberi non potuit, eo quod morbus longius progredi in dies videbatur, et quotidie invalescere: Quare cum ęgra e lecto nulla ratione surgere valeret, parumque nutriri posset, macie paulatim totum illius corpus confici croceum trahere membra colorem, pulsus inęquales, et exiles adeo esse, ut eorum motus aliquando nequidem digitis perciperetur: Accedebat vehemens, atque atrox capitis dolor, qui stuporem inferebat, eamque animo sępe deficere sinebat, pręsertim si quispiam contenta voce una cum ipsa loqueretur. Cęterum paucula loquebatur remissa adeo voce, ut ęgrè ab pręsentibus posset audiri Conquerebatur insuper se assiduo, acerbissimoque interno confici dolore, qui sinistrę scapulę, ut ipsa narrabat, respon=deret; quare ajebat inibi plagam sibi interius fuisse inflictam, ejusque doloris causa sedere in loco erat illi necesse, statu corporis, ac membrorum incommodo, a quo si paululum recedere voluisset, subitò animi defectione corripiebatur, quo tempore nec deprehendebatur ullus arterię motus, nec respiratio, vultumque cadaveris induebat: Ad has animi defectiones amoliendas novum curiosumque aliquod reme=dium ab amica fuit excogitatum, quod minime effectu

caruit,

caruit, violenta scilicet pressio scapulę, eo in loco, in quo ęgrota se dolorem sustinere fatebatur.
Erant jam septem, ac viginti menses elapsi, ex quo acerbissimam hanc vitam tolerabat infelix virgo, cui pręterea novum additum incommodum dexterę nempe mammillę tumor ingens, cujus papilla saniosa, et ad croceum vergente colorem materia assiduo manabat. Cum ecce tibi res in priorem pessimum locum tertia vice redacta est. Virgo scilicet amplius non valuit ullo se cibo potuque reficere, quare opus fuit ad consueta remedia confugere, ad Clysteria nempe nutrientia, atque emollientia. Nihilo tamen minus symptomatis in mitiorem partem nequaquam vergentibus, eo redacta est, ut proximę secuturę mortis signa certa viderentur adesse; violentus nempe molestusque impetus ęgrotę, quo ipsa quietis impatiens huc illuc ferebatur, frequens difficilisque anhelitus, sitis quę extingui nequibat, dolores denique pectoris acerbissimi. In tanta hac rerum perturbatione, ne Pater meus videre cogeretur ante oculos suos misserrimè illam perire, quę viginti jam transegerant dies, ne quidem aquę gutta refecta, Ceream candelam duarum circiter unciarum poposcit, et aquę calicem; his statim allatis sumit in manum candelam, eamque ad sthomacum usque per Oesophagum demittit: ea extracta statim porrigit infirmę aquę calicem, qui totus ab illa continenti spiritu unoque haustu fuit exiccatus. Exhilarati ab eventu Pater, Ęgrota ipsa, cęterique qui aderant omnes fuerunt: Jussit itaque Pater alterum aquę cyathum rursus afferri, sed rursus arctato Oesophago, ne guttę quidem aquę patuit ad sthomacum via: Quapropter ad Candelam altera ac tertia vice confugere opus fuit, quotiescumque potio esset illi propinanda.

Hęc

Hæc methodus, quæ ceteroquin multa afferebat incomoda vitam
valuit illi producere quatuor fere integros menses. Nulla etenim
alia ratione corpus potu refici, aut medicatis potionibus curari
potuit; etiam si candelæ opera in tertium, vel quartum ali:
quando diem reiiceretur. Illud etiam fuit observatum, lin:
guam nempe ejusdem ita esse contractam, ut vix ejusdem apex
post uvulam appareret, Oesophagumque ipsum ad sthomacum
usque ita arctatum, ut aliqua vis foret adhibenda ad constri:
ctionem vincendam, dum candela immitteretur, quæ aliquando
contracta est: Animadversum etiam quod si candela ad stho:
macum non pervenisset, potus haud ad sthomacum
descendebat, sed ad eum usque locum, ad quem candela
pervenerat.

Novum etiam Phenomenon ex hac operatione patuit; etenim
si eductâ candelâ dilatatoque Oesophago non statim potus
infirmæ Virgini porrigeretur, antequam ipsa ægra aerem
traheret, statim Oesophagus ad constrictionem redibat, eratque
operatio, quæ ex usu Virginis non fuerat, repetenda.

Remedium hocce sæpius singulis mensibus, imo sæpius
aliquando singulis diebus fuit a Patre iteratum non sine
maximo sui fastidio, ægrotantisque virginis incommodo.

Verum seviente in dies morbo in vitæ confinio versari jam
jam videbatur, pluresque dies in misserrimo statu traduxe=
rat, cum repente mirantibus cunctis qui aderant, a mortuis
ad vitam excitari visa est. Loquelam quam tertio jam a men=
se, et amplius amisserat, recuperavit, in sedentis positum se
erexit, potum cibumque poposcit, ac sumpsit, sibi vestes
induit, pedes denique e lecto deduxit.

Accitus

Accitus pater illam meliuscule se habere, evanidum factum ingentem illum tumorem sthomaci, solutam convulsionem, Virginem denique viribus aliquatenus redditam, quibus menses decem et octo frui fuit illi concessum: Etenim cum menstruę purgationes interclusos adhuc transitus reperissent renuissentque omnino parere remediis factum est, ut immaniter intumuerit, obduruiterque lapidis instar, abdomen, ac postremo duos circiter annos a solutâ convulsione vitâ migraverit.

Virginis defunctę Cognati, quorum assensus Romę requiritur, vetuere sectionem cadaveris, quare de illo nihil habeo quod vobis exponam.

Sed perpensâ symptomatum huius morbi serie statuere breviter, ne vobis fastidium cream, pronum est; calybem male apparatum a Pharmacopola principem fuisse causam constrictionis Sthomachi in virgine convulsionibus ceteroquin obnoxia; Sthomacum ita contractum efformare potuisse tumorem illum supra indigitatum, qui Truncum Aortę descendentis illi subjectum premendo Aneurisma ęmularet; ipsumque sthomacum arctatum Oesophagum deorsum traxisse, atque effecisse, ut parietes ejusdem ita accederent, ut veluti conglutinati viderentur, atque corpus linguę carnosum intra fauces ita se abderet, ut unus apex ejusdem tremulus appareret.

Hęc Romę superioribus annis evenere: Quod si casus huiusmodi mihi se daret, an ad aliud remedium me converterem Eruditissimi Accademici prorsus ignorare confiteor.